

locorum, temporum, personarumve differentiis circumscripta: completiturque omnes verè fideles, inde ab initio, usque ad mundi finem: *Hebr. 12. 22. 23. Joh. 10. 16. Gal. 3. 28.* Siue, iuxta scitum illud Gregorii dictum; Sanctos ante Legem, Sanctos sub Legge, Sanctos sub Gratia (& tandem Sanctos in Gloria.) qui omnes corpus Domini, Ecclesiam uniuersalem perficiunt.

Gregor. M.
lib. 4. Epist. 38

VI.

Posterior κατὰ τὴν dicta, secundum partes, loco & conditione differentes, distinguitur *Eph. 1. 10. & 3. 15. Col. 1. 20.* in TRIVMPHANTEM, quæ nunc in cælis, consummatâ feliciter in hac vitâ fidei militia, cum CHRISTO, & B. Angelis, gloriosè triumphat: *Eph. 5. 27. Apoc. 7. 9. 14. 15. 16. 17. & 14. 13.* Et MILITANTEM, quæ dum in terris est, aduersus omnes salutis nostræ hostes, sub vexillo Christi, spirituali πανοπλίᾳ, præclarè depugnat: *Eph. 6. 11. 12. Galat. 5. 16. 17. 1. Petr. 5. 8. 9. 2 Tim. 4. 7. 8. Apoc. 12. 1. & seq.*

III.

VII.

Præter has, tertiam quandam in Purgatorio laborantem comminiscuntur Pontificii. At eam ignorat Scriptura Sacra. Duo enim tantum loca, post hanc vitam, superesse docet: *Matth. 7. 13. 14. & 25. 34. 41. Luc. 16. 22. 23. 25.* Medium verò omninò excludit: *Marc. 16. 16. Joh. 3. 16. 18. 36. & 5. 24. Apoc. 3. 16.* Similiter Augustinus statuit: *Nec est, inquit, ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Id. alibi: Primum locum fides Catholicorum diuinâ autoritate regnum credit esse cælorum. Secundum gehennam, &c. Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in Scripturis Sanctis inuenimus.*

August. lib.
1. de Peccat.
merit. & re-
miss. cap. 28.
Tom. 7. Id.
Hypognoctic.
lib. 5. Tom. 7.

VIII.

Porro Ecclesia, diuersi temporis & οἰκονομίας respectu, dicitur tum Israelitica Veteris; tum Christiana Noui Testamenti. *Galat. 4. 24. Act. 11. 26. Hebr. 9. 15.* Illa ex vnâ ferè gente sub durissimâ Legi prædicatione usque ad Messie aduentum colligebatur: *Deutr. 4. 7. 8. & 7. 6. 7. & 32. 8. 9. & 33. 29. Psalm. 147. 19. 20. Roman. 3. 2. & 9. 4. Galat. 3. 19. 16.* Hæc post exhibitum Christum, longè clariùs ac liberiùs, gratis. Evangelii prædicatione, ex omnibus promiscuè populis colligitur; idque ad consummationem usque sæculi: *Matth. 24. 14. & 28. 19. 20. Marc. 16. 15. Apocal. 5. 9. Galat. 3. 28.* Vtriusq; tamen fœderis Ecclesia, vera fidei unitate, ac doctrina substantiâ ne vel minimum

IV.